

CAPUT III.

De blasphemis, & sortilegis.

Huc referendi sunt tituli 21. & 26. lib. 5.

Omnes quidem hæretici, rei blasphemiae dici meriti possunt, can. 70. caus. 1. quæst. 1., non tamen è converso omnes blasphemiam hæreticorum nomine appellari: est enim blasphemiam convicium quoddam, vel maledictum, sive directum in Deum, aut Christum, sive in Christi Sacramenta, Crucem, Evangelia, aliave Redemptionis monumenta, sive in Deiparam Virginem, sive in Beatos, aut sacras imagines, sive in Ecclesiam, ordinesve ecclesiasticos, eorum præsertim, qui ex divina institutione universæ Ecclesiæ præsent, cap. 1. & 2. de maledicis, cap. 2. de offic. jud. ordinar., juncta l. 6., & 7. cod. ad leg. Jul. majest., argumento legis unicæ cod. nemini licere signum Salvatoris. Quadruplex esse vulgò traditur blasphemiam genus: Primum est, quum Deo tribuitur, quod Dei non est; quod tamen ita intellige, ut non improbemus symbola quædam in Ecclesia jamdiu probata, veluti cum Spiritum Dei pingimus sub specie lignis, vel columbæ, aut Verbum Dei sub specie agni; hæc enim ideo exhibemus, non ut indicemus, veras illas esse Dei formas, sed quia cum sub formis sensibilibus facilius suspiciamus in Deum, illas potius figuras proponimus, sub quibus singulari elementa Deus manifestare se hominibus voluit. De agni figura, sub qua Christus exhibetur, tanquam apud veteres usu recepta, conceptus est canon 82. Concilii Trullani, quo statutum est, ut deinceps conventus in sacris ædibus præ agno Christus homo pingeretur, quasi rei veritas, qualis erat in forma humana, typo, & symbolo, qualis erat agnus, præferen-

da jure, ac merito foret. Alterum blasphemiam genus est, quum Deo denegatur, quod reverè Dei est. Tertium, quum creaturis tribuitur, quod Dei est proprium, & singulare. Postremum, quum aut convicia in Deum, & Deo adsidentes in patria beatas animas ore impio jaciuntur, aut factò rebus divinis, vel religiosis fit contumelia. Tantum nominis asum in lege veterè voluit Deus capitali, & quidem acerbissima pœna puniri, qualis erat mors blasphemorum contentis lapidibus obruendorum, Leviticis cap. 24. Capitale quoque edito suo esse voluit Nabuchodonosor hujusmodi crimen, statim ac veri Dei notitiam habuit, Danielis cap. 3. vers. 46., can. 47. caus. 23. quæst. 4., can. 98. caus. 11. quæst. 3. Capitale demùm esse voluit Justinianus in Novel. 77. cap. 1. §. 1. & 2. Media Ecclesiæ ætate cum non ubique vigerent leges Justinianæ, recessum passim est à pœnis capitalibus. Hinc anno 826. in Capitulari Ingilhenheimensi sub Ludovico Pio cap. 5. ita decretum fuit: *Si quis qualibet modo blasphemiam in Deum jactaverit, ab Episcopo, vel Comitè pagi ipsius carceri usque ad satisfactionem tradatur, & publica penitentia mulsetur, donec precibus proprii Episcopi publicè reconcilietur, Ecclesiæque gremio canonicè reddatur.* Latius recipi potuit hæc sanctio, postquam traducta fuit in Collectionem Capitularium lib. 6. cap. 101. Hodie verò juxta varias Provinciarum constitutiones variæ pœnæ esse solent, ex præsertim, quæ à publicis Magistratibus infliguntur, habita ratione tum qualitatibus blasphemiam, tum adjunctorum. Apud nos præstituta pœnæ leguntur in lib. 4. tit. 34. cap. 1.

Re-

Regiarum Constitutionum, in quibus etiam asperiores pœnæ indicuntur adversus Judæos blasphemantes, lib. 1. tit. 8. cap. 6. Generaliter in hac re multa sunt posita in arbitrio Judicis, pensaturi variis proferentis adfectiones, & modos, quos ut plurimum explicare solent variè loquendi consuetudines, quæ certis in regionibus passim apud plurimos invaluerunt, atque juxta illas modò asperiores, modò leviores pœnas illaturi. Jure ecclesiastico distingui solet blasphemiam, quam hæreticalem appellant, à simplicis. Si hæreticalis blasphemiam sit, instituitur judicium adversus reos, ac si essent hæretici, de qua re optimum erit respicere ad instructionem Benedicti XIV. Pontificis Maximi ad noster Episcopos missam §. 7. Hinc ubi executionem habuit Constitutio in multis 23. Julii III., etiam Inquisitores hæreticorum in ea causa ex officio procedunt. At si blasphemiam simplex sit, olim obtinebat, ut Clerici ab officio, & beneficio, laici ab ecclesiastica communione removerentur, can. 13. caus. 24. quæst. 3., can. 10. caus. 22. quæst. 1. Recentioribus sæculis mitior dicta fuit pœna. Siquidem Gregorius IX. prope modum secutus laudatam Francorum Capitularium disciplinam clementer blasphemiam indulsit, ut suscepta publica penitentia Deo, & Ecclesiæ reconciliari valeret, cap. 2. de maledicis, quam tamen si devotè rei non expleat, excommunicationi infligendæ locus adhuc superesse videtur, in qua si per longum tempus contumaces blasphemiam persistent, poterit adversus eos, tanquam in hæreticos, aut saltem de hæresi vehementer suspectos inquiri, can. 31. caus. 24. quæst. 3. Imò etsi penitentia publica devotè & suscipiatur, & expleatur, non excluduntur Magistratus publici à publica pœna inferenda, cum crimen illud adto mixti fori esse dicatur à Pragmaticis, ut utraque jurisdictione, & ecclesiastica & civili, rei possint unà damari, quia pœna ab Ecclesia indicta po-

tius, quam veræ pœnæ, locum teneat censuræ, aut penitentia salutaris. Quoniam verò dictum capitulum 2. ad laicos tantum pertinet, cum publica penitentia ex Ecclesiæ disciplina in Clericos infligi non solet, can. 5. dist. 82., non dubito, quin vetus adversus Clericos blasphemios pœna canonum, videlicet è gradu dejectio, sit infligenda, quem admodum statutum est in Concilio Lateranensi sub Leone X. sess. 9. Hinc facillè colligitur, blasphemiam crimen publicum esse, in quo propterea non solum unicuique datur accusandi facultas, sed imminet etiam denuntiandi obligatio, can. 10. vers. *Si quis autem* caus. 22. quæst. 1., quod & recentiores Pontifices suis constitutionibus confirmaverunt.

Quòd majores nostri Idololatriæ superstitionibus miserè obvoluti jacuerint, vestigia quædam impietatis apud nepotes etiam seros remanserunt, obscuris præsertim sæculis pressa ab improbis de trivio hominibus utut Christo regeneratis, qui insigni perfidia ad demones, quasi opem ab ipsis ad varias causas imploraturi, & oracula idolorum, quibus silentium à Christo indictum altissimum fuit, ex trebo excitaturi, confugere non dubitaverunt, can. 9. caus. 26. quæst. 2. Varias horum hominum turbas, & varia illorum nomina dolens recensuit initio septimi sæculi Isidorus Hispalensis in libro 8. Originum cap. 9., unde multa translata sunt in canonem 1. caus. 26. quæst. 3., & canonem 14. caus. 26. quæst. 5., junctio canonè unico caus. 26. quæst. 1. Generaliter autem universi Ecclesiarum Antistites omnem sollicitudinem impenderunt, ut tristes illas veteres Idololatriæ reliquias penitus ab animis Christianorum eraderent. Inter ceteros laudare possum Agobardum Lugdunensem Episcopum sæculi noni Scriptorem, cujus opera extant in Bibliotheca Patrum; hic enim eruditus Antistes inter sæculi illius vulgares crassasque caligines totus fuit in libro de *Grandine & Tonitruiis*, ut ex animis plebejorum ho-

minum præjudicatas opiniones avelleret, quæ passim inoleverant, de magis, qui pro lubito tempestates immitterent, & æteram turbarent, ridens aniles fabellas, quæ indiscriminatim in populo recensebantur. Huic adicere possum Burchardum Wormaciensem, qui obscuriore adhuc ætate floruit, & planè ferrea, id est initio sæculi undecimi: nihilominus autem in libro 19. sui Decreti, qui instar Pœnitentialis est, totus in illud incubuit, ut gravissimas pœnitentias indiceret, non tam in eos, qui magicæ artis præsidio aliquid molirentur, quam in eos, qui moliri aliquid posse crederent. Optandum sanè foret ingenio, & præjudicii experti viro, ut tot Danieles in medium prodiissent, dolos & fraudes patefacturi, quos Sacerdotes Belis monstra hujusmodi exhibuissent; fortè enim evenissent, ut deceptorum insignium ars, & perfidia perpetuè adparuisset, exemplo illius, quod legitur Danicelis cap. 14., quod ipsum contigit apud Regem Persarum, qui momente Sancto Marutha suorum Magorum fraudes non dissimiles agnovit, uti refert Socrates lib. 7. cap. 8. Superis grates sint, quòd in eam ætatem incidimus, qua hoc superstitionis genus eversum jamdiu videtur. Laudanda tamen est veterum Legumlatorum prudentia, qui in sortilegos pœnas gravissimas indixerunt; etenim licèt inania essent illorum præstigia, quando tamen qui artem illam profitebantur, illud in animo versabant, ut sub specie vis majoris perimerent homines, pudicitiam honestarum mulierum attentarent, agros vastarent, annonam redderent cariorem, & rudioribus saltem hominibus metum incurrerent, non fuerunt impudè dimitendi. Episcopi veteres in reos sortilegii pœnam anathematis inflixerunt, can. 1. 4. 6. 7. 9. & 11. caus. 26. quæst. 5., licèt aliquando contra eos, qui ex rusticitate quadam sine expressa demonis invocatione divinorum artem exercuerint mitius agi visum fuerit, Clericis

ad annum suspensis, cap. 2. de sortilegis, laicis extra ordinem corporali pœnitentia afflictis, can. 10. caus. 26. quæst. 5. Religiosi quoque Imperatores severissimis pœnis subjiciendos delinquentes voluerunt, tanquam eos, qui rempublicam universam atrocissimis facinoribus turbarent, toto titulo codicis de maleficis. Hinc passim cavendum fuit, ut crimen illud capitale haberetur, publicatis bonis, & supremo supplicio affectis reis, illisque omnibus, qui cum iis nefariam invisissent societatem, l. 3. & 5. cod. eod. tit. Recentioribus sæculis ex disciplina tribunalium extraordinariam pœnam pro admisi qualitate, & conditione personarum modo leniendam, modo exasperandam, infligi solere, Pragmatici universi testantur, quod invaluit ex rescripto Gregorii Magni in dicto can. 10. caus. 26. quæst. 5. Ecclesiasticam jurisdictionem adversus ejus criminis reos soli Episcopoli in singulis diocesisbus exercebant, ita ut Inquisitoribus à Sede Apostolica delegatis ea facultas non competeret, nisi crimen hæresim saperet manifestam, cap. 8. vers. *Sanè de hæreticis in 6.* At recentiores Pontifices constitutionibus suis eam quoque potestatem delegatis Inquisitoribus fecerunt, ac si adversus suspectos de hæresi agendum sit, Porro ad averteendam quamcumque hæreseos suspicionem ulterius progrediendum fuit ecclesiasticis constitutionibus; nimirum licèt civili jure Romanorum in casibus dubiis, & incertis non improbetur, rem sortibus committi, l. 14. ff. de judiciis, l. 5. ff. famil. ercisc., l. 3. cod. commun. de leg., sacris tamen canonibus suffragia eligendorum sorte committi vitium est, cap. 3. de sortilegis; eò etiam potiore jure damnatæ jampridem fuerant sortes illæ, quas appellabant Sanctorum, cum videlicet quis ad Evangelicas paginas confugeret, ut illarum aequè curiosa investigatione, ac superstitionis interpretatione futura prædiceret, can. un. caus. 26. quæst. 1., can. 3. caus. 26. quæst. 2.

CA-

CAPUT IV.

De violata jurisjurandi, aut voti Religione.

Huc referendus est titulus 24. lib. 2., & tit. 34. lib. 3.

Quemadmodum religiosum esse debet fidei viro, Deum ad confirmationem veritatis iurejurando testari, ita mendacibus impium est, Deum quasi mendacii sui patronum advocare perjurio; quod veluti immane scelus expressè à Deo in veteris testamenti literis damnatum fuit, Levitici cap. 5., can. 12. caus. 22. quæst. 1. Non desuerunt olim, qui putarent, omne iusjurandum illicitum esse, aut saltem dubitare, an in conspectu Evangelicæ doctrinæ indiscriminatim, & generaliter improbandum sit. Verba Evangelii sunt apud Matthæum in cap. 5. ibi: *Dictum est antiquis, non perjurabis, red- des autem Domino juramenta tua: Ego autem dico vobis, non jurare omninò, neque per cælum, quia thronus Dei est; neque per terram, quia scabellum est pedum ejus; neque per Jerosolimam, quia Civitas est magni Regis; neque per caput tuum juraveris, quia non potest unum capillum album facere, aut nigrum; Sit autem sermo vester, est, est, non, non: Quod autem his abundantius est, à malo est.* His consonat Apostolus Jacobus in cap. 5. epistolæ ita scribens: *Ante omnia autem, fratres mei, nolite jurare, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum. Sit autem sermo vester, est, est, non, non; ut non sub iudicio decedatis.* Supervacaneum hodie foret elaborare in interpretatione hujus divinæ sententiæ, proptereaquod eadem exposita jamdiu fuit à veteribus Patribus, uno suffragio definitibus, ex mandato Christi Domini non per se vitium esse tanquam illicitum iusjurandum sed potius cavendum, ne quis iurejurando abutatur. Interpretatio Patrum legitur apud Gratianum in tota

ferè quæstione 1. caus. 22. Observatur in primis in canone 4., Apostolum Paulum juravisse, quod sanè non fecisset si in eo se ab evangelicæ Christi doctrinæ recedere credidisset. Deinde observatur in can. 3. non ideo dictum videri in Evangelio, ne omninò iurem, quia verum jurare peccatum sit, sed quia perjerare immane peccatum est, à quo longè nos esse voluit, qui omninò, ne iuremus, admonuit. Consonant canones 5. & 13. Iterum observatur, verba illa Evangelii: *Quod autem his abundantius est, à malo est,* pertinere potius ad laudandam animi simplicitatem, quam ad redarguendam iusjurandi rationem, quasi diceretur, ideo identidem exigi iusjurandum inter homines, quia dolus, & fallacia esse solet apud eos, qui simpliciter affirmant, aut negant; à quibus propterea postulat, ut quod proferunt, iurejurando confirmet. Id legitur in can. 2. 5. 6. & 14. Denique observatur in can. 7. & 8., non juramentum quodcumque in Evangelio improbari, sed quod fieret per cælum, per terram, per Jerosolimam, aut per caput jurantis, quasi tutius esset, directò jurare in Deum, quoties justa iusjurandi causa occurreret. Hæc omnia complexus est Innocentius III. in cap. 26. de iurejurando. Laude dignæ sunt universæ istæ Evangelicæ doctrinæ interpretationes, neque nobis ab eisdem recedendum est, cum ex unanimi veterum Patrum traditione proflexerint. Quoties verò invicem observationes illas confereo, mihi præcipua illa videtur, qua traditum est, ideo nos abs iurejurando abstinerere debere, ne in perjurium ex faci-

li-

litate jurisjurandi incidamus. Etenim exinde fluit generalis jurandi doctrina, quæ suadet, non facile & passim apud Christianos viros jurandum esse; sed tum demum, cum aut rei gravitas, aut publicæ formæ ratio id postulat, can. 1. 2. 5., & passim dicta caus. 22. quæst. 1. Itaque jusjurandum, uti ait Hieronymus in can. 7. caus. 22. quæst. 1., & in can. 1. caus. 22. quæst. 2., juncto cap. 6. de jurejur., tres debet habere comites, veritatem, judicium, atque justitiam, juxta verba Jeremiæ cap. 4. Veritatem, ut juremus non solum, quod in se verum est, sed & quod verum esse sincerè, simpliciterque credamus, item non tam quale interno mentis proposito retinemus, quam quale intellecturos audientes prævidemus, can. 9. caus. 22. quæst. 5., atque si de re futura agatur, quæ à nostra pendeat voluntate, ut non juremus, nisi quod nos facturos sine fallacia & constanti implendi animo spondeamus. Judicium, ut non imprudenter, non temerè, non sine gravi causa Deum testemur, ne de rebus inanibus sacratissimum Domini nomen invocemus. Justitiam, ut nihil turpe, aut minus honestum datam jurisjurandi fidem polluere quoquo modo possit; ista enim promissiones uti sunt deestabiles apud Deum, ita ipso jure solvuntur, can. 1. 2. & sequentibus caus. 22. quæst. 4., cap. 18. 19. 21. 23. & 27. de jurejur. Cum verò jusjurandum fiat ex sententia animi jurantis, certissimum est, perjurium veluti gravius mendacium jurantis animam inquinare. Hinc proficiscitur, universitatem neque jurisjurandi, neque perjurii capacem esse per se, cum nec animum habeat, cujus sententia Deum de rei veritate testetur, & in quem perjurium referatur, argumentum cap. 5. de sentent. excommun. in 6., quamquam possit intelligi jurare per administratos ex animi sui sententia jurantes, & in animam suam perjurium referentes, l. 97. ff. de condition. & demonstrat., cap. 4. de juram. cal.

Hinc præterea proficiscitur, procuratorem non aliter pro mandante ad jurandum admitti, quam si mandato ad id specialiter suscepto in animam juret sui principalis, l. 2. §. 2. cod. de jurejurand. propt. calumn., cap. 3. de juram. calumniæ, cap. 3. cod. tit. in 6.

Varie & olim fuerunt, & hodie sunt jurisjurandi formulæ; neque enim solum jurare intelligitur, qui Deum expressè, & directè testatur, sed etiam qui ea, in quibus Dei nomen tacitè vocari intelligitur. Hinc Judæi, uti liquet ex laudato Evangelii monumento, jurabant per cælum, per terram, per caput suum. Christianis minime placuerunt ista formulæ, sive quòd improbratè in Evangelio fuerint, quemadmodum suprâ laudati Patres observaverunt, sive quòd non videbatur opportunum, jurantes in elementorum, corporumque specie consistere, ad evadendam quamcumque Idololatriæ suspicionem, quam contraherant Judæi juxta eas formulas jurantes, can. 7. caus. 22. quæst. 1. Potius juratum est, ubi opus, vel per Deum, vel per Christum, vel per monumenta reparatæ salutis, veluti per Evangelium, per Crucem, per Sacramenta, per Altare, cœteras res Deo sacras, can. 11. 12. caus. 22. quæst. 1., can. 2. caus. 22. quæst. 5., quibus addi potest argumentum Matthæi cap. 23. Evangelii. Huc etiam pertinet recens judiciorum disciplina, qua obtinet Sacerdotes juraturos manum ad pectus admove, quasi quod Deo singulare sit jure dicatum. Qua tamen in re notandum est, jam quarto sæculo obtinuisse Episcopos, ut ad testimonium in jure dicendum non advocarentur, l. 7. cod. de Episc. & Cler. quod Justinianus in Nov. 123. cap. 7. ita voluit intelligendum, ut Judices mittant ad Episcopos quasdam ex personis ministrantium sibi, ut propositis sanctis Evangelii, secundum quod docet Sacerdotes, dicant, quæ noverint. Ad proposita sancta Evangelia fieri consuevisse jusjurandum, nemo est, qui inficias ire possit in conspectu

legis 2. in principio, & §. 1. cod. de jurejur. propt. calumn. De Presbyteris cautum erat, ut tantum remitterentur injuria questionis, dum ad judicium accederent; ceteri autem Clerici communi jure ad testimonium dicendum audiebantur, l. 8. cod. de Episc. & Cler. Dii viguisse puto hanc disciplinam, donec Isidorus Mercator in Pseudoepistola 2. ad Ruffianum sub nomine Cornelii Papæ edita tradidit, Sacerdotes divino jure prohiberi, ne jurent, sese referens ad laudata Matthæi, & Jacobi monumenta. Hinc nono sæculo Clericorum juramenta veluti à Christo interdicta à pluribus improbari cœperunt, uti liquet ex Capitulari Francorum anni 858. cap. 15., ubi Rhemensis Provinciæ Episcopi traderunt non decere manus sacro Chrismate perunctas, & Christi corpore consecratas, *nullo modo tangere sacrale Sacramentum*. Hinc sequentibus tribus sæculis nonnulli canones editi sunt, quibus videbatur Clericis jurejurando interdici, can. 22. & 23. caus. 22. quæst. 5. Equidem iis temporibus Gratianus in dicta caus. 22. quæst. 1. ex traditionibus veterum Patrum evangelica mandata illustraverat; interea tamen vulgare erat adagium, Clericos saltem abs jurejurando abstinere oportere, vix quibusdam exceptionibus adjectis canonum auctoritate, uti in dicto can. 23. Adeo pervasit hæc opinio plurimorum animos, ut qui authenticas Codici inseruit, ubi refertur voluit laudatam Justiniani Novellam de Episcopis testimonium latutris propositis sanctis Evangelii, adjecerit in authentica *Sed Jurejurandi* cod. de Episc. & Cler. *Non tamen jurent* quando tamen nihil tale legitur in Novella Justinianea. Delata fuit controversia ad Honorium II., vel, ut aliis placet, III., qui in cap. 1. de juram. cal. totam eam rem moderandam duxit ita, ut Episcopo, ne inconsulto Romano Pontifice, & Clerico, ne inconsulto Episcopo suo jurare audeat, interdiceretur. Hinc Lucius III. Clericos in judicio jurare oportere rescripsit in cap. 5.

cod. tit., utut consuetudine se ab jurisjurandi obligatione immunes adsererent, & Gregorius IX. in caput ult. cod. tit. Episcopos jurare jussit in causis judiciariis, non quidem tactis, sed propositis Evangelii; unde profulxisse puto admotionem manus ad pectus, quoties ab Episcopo jurandum esset, & hanc deinde ad Sacerdotes universos usu fore in plures Provincias traductam. Quasitum olim fuerat apud S. Augustinum à quodam Publicola, utrum Christiano viro liceret jusjurandum recipere à viris Idololatriæ, qui per dæmones, aut idola, quæ colerent, essent juraturi. Responso sancti Antistitis extat apud Gratianum in can. 16. caus. 22. quæst. 1., ad quem nonnulla Gratianus idem explanationis causa subjicit. Hodie in judiciis duplex distinguitur jusjurandum illud, quod supplementivum, aut purgativum appellatur; nimirum aliud simplex, aliud solemne, id est execrationibus adjectis pronunciatum, quorum diversa formula extat in lib. 3. tit. 14. §. 4. & 6. Regiarum constitutionum. Receptum autem est, ut jusjurandum quidem simplex per procuratorem fieri possit, uti superius notatum est; at jusjurandum solemne debeat semper fieri ab eju persona, cujus est causa; & rectè, etenim cum jusjurandum illud solemne in gravioribus causis indicio solet, interest maxime, ut is, cujus principaliter causa versatur, & monita judicis, & pressas formulas arrectis auribus, attentoque animo excipiat, ut terreatur gravitate rei, & cautius juret, semper autem à perjurio recedat.

Vulgaris est jurisjurandi partitio, qua alterum assertorium, alterum promissorium à Pragmaticis appellatur. Assertorium vocant, quum quod in presentia est, aut aliquando fuit, asseritur, admissio statim perjurii crimine ab eo, qui mendacium protulit. Promissorium dicunt, quando aliquid dandum, vel non dandum, faciendum, vel non faciendum promittitur, in qua specie im-

minet adhuc futuri perjuri periculum, quousque certum non est, datam fidem impleri. Est hæc regula generalis, quæ tamen suas habet exceptiones, adeo ut aliquando contingat, ut jusjurandum irriteretur; quod in primis fieri potest juris auctoritate, deinde jurisdictione iudicis, postremo etiam factò hominum privatorum. Quòd spectat in primis legis auctoritatem, non memoro veterem Romanorum providentiam, qui remiserunt jurandi obligationem, ut vel legis potestate, vel voluntate testatoris imposita, quotiescumque non levibus conjecturis colligeretur facile futurum, ut jusjurandum non impleteretur. Remisit jusjurandum legis potestate impositum Justinianus Imperator tum in Novella 22. cap. 43., tum in Novella 94. cap. 2. Remiserat etiam olim Prætor jusjurandum à testatore impositum in ea specie, qua testator aut heredem instituit, aut liberalitatem quamdam legati titulo, vel fideicommissi quemquam honoravisset sub conditione jusjurandi, l. 8. ff. de condit. instit., l. 29. §. 2. ff. de testam. milit., l. 112. §. 4. ff. de legat. 1., l. 20. & 26. ff. de condition. & demonstrat. Cùm enim (ait Jureconsultus in dicta l. 8. ff. de condit. instit.) faciles sint nonnulli homines ad jurandum contemptu religionis, alii perquam timidi metu divini numinis usque ad superstitionem, ne vel hi, vel illi aut consequerentur, aut perderent, quod relictum est, Prætor consultissime intervenit; quod ipsum in alia specie observavit Justinianus in l. 21. vers. *Neque enim* cod. de fide instrument. Non, inquam, hanc providentiam memoro, utpotè quæ potius vetat, ne juretur, quam jusjurandum semel elicium dirimat. Potius dico, juris potestate irritari jusjurandum emissum, quoties sub jusjurandi vinculo spondeat aliquis, quod divinæ legi, & bonis moribus adversetur; irritas enim ipso jure hujusmodi pollicitationes esse diximus, tanquam in quibus justitia jurandi de-

ficiat, imposita salutaris poenitentia in eum, qui temerè jusjurandum ejusmodi interposuit; unde passim in Decretalibus Pontificis legimus, nunquam jusjurandum implendum esse, ubi vergat in dispendium salutis æternæ. Neque verò aliud ego dicendum censo, quoties agatur de jusjurando contra publicas leges ab hominibus editas bono publico societatis, vel Ecclesiæ. Qua tamen in re juvabit duas legum publicarum distinguere species; quarum aliæ directò publicam, privatorum aliæ utilitatem respiciunt. Quoties publica versetur utilitas, ipso jure nullam vim jusjurandum habebit, cap. 21. de jusjurando; neque enim Deus ex privata invocatione sui nominis publicam voluit unquam tranquillitatem pacemque turbari: ast ubi privata tantùm utilitas inest, cùm liceat unicuique favori pro se introducto renuntiare, l. 29. cod. de pactis, quemadmodum pactum insuper habitis legibus consistit, ita, inò & potiore jure, valebit jusjurandum, cap. 28. de jusjurando, cap. 2. de pactis in 6. Verùm enim verò licet regulæ hæc generales probabiles, atque optimæ sint, periculum tamen frequenter ingerere solent judicaturis, sæpè ac sæpius dubitantibus, quibusnam in legibus privata potius, quam publica, quibusnam publica potius, quam privata utilitas contineatur. Ut exemplum proferam, scimus definitum ecclesiasticis legibus, ne quis ad professionem monasticam admittatur, nisi absoluto probationis anno. Fuit aliquando definitum, ut huic legi sive à Monachis novitium recipientibus, sive à novitio professuro renuntiari valeret, quasi ea lex favore singulari Monachorum & novitii lata fuisset, cap. 16. de Regularibus; aliter tamen deinde videmus fuit Tridentino Concilio in cap. 15. sess. 25. de Regular., quasi non tam privatam, quàm publicam inesse utilitatem in ea lege Tridentini Antistes noverint. Undenam, amabo, orta est antinomia illa, quæ habetur inter legem Justiniani in l. 29. cod. de pactis, & resp-

criptum Innocentii III. in cap. 12. de foro competente, statuente Justiniano, valere, statuente è contrario Innocentio, non valere pactum utur jusjurando firmatum, quo Sacerdotes renuntiant sui fori privilegio, nisi quòd Justinianus privilegium censuerit ad privatam, è contrario censuerit Innocentius ad publicam utilitatem referri oportere? Ad evitandas hujus generis controversias optimè in hanc rem suat, & saluberrimæ Regum nostrorum leges, dum ad eludendos temerè, aut minus deliberatè juramentum actus, ad præcavenda præterea frequentiora perjuri periculum, constituerunt, ut quodcumque jusjurandum instrumentis adjectum pro non interposito haberetur, lib. 5. tit. 10. §. ult. Regiarum Constitutionum. Præterea ipso jure non consistunt juramenta illorum, qui judicio carent, cùm propriè juramenta dici nequeant deficiente consensu, & proposito voluntatis. Sanè si de parvulis agatur septennio majoribus, quorum consilium infirmum adhuc est, ego non dubito, quin ipso jure valeant, cùm isti naturalis saltem obligationis ineundæ capaces sint. Verùm in primis observandum est, parvulus in pupillari ætate constitutos nunquam esse ad jusjurandum cogendos; jam enim abrogata non solùm est, ubi aliquando viguit, sed etiam improbata ubicumque fuit lex Gundobada, quæ parvulos etiam jurare cogebat, can. 14. caus. 22. quæst. 5. Deinde si spontè parvuli juraverint, inducendi quidem sunt, quoad fieri possit, & ubi nemini fiat fraus, ad jusjurandum implendum, non tamen pro perjuro habebitur, quòd spectat ad perjuri poenas, qui illud non servaverit, l. 26. ff. de jurejur., cap. 8. de probation., can. 19. caus. 22. quæst. 4., dicto can. 14., can. 15. & 16. caus. 22. quæst. 5. Officio iudicis ecclesiastici etiam jusjurandum relaxatur, quasi per absolutionem, qua in re ea est Prælati cognitio, ut divinam voluntatem interpretetur, & declaret, & quo casu noverit minus ex-

pedire, ut jusjurandum impleatur, illud divina veluti auctoritate remittat. Prælati nomine ego ordinarium intelligo, id est, Episcopum unumquemque in sua Diocesi, quin opponatur versiculus *Virum verò* cap. 34. de elect., ubi Innocentius III. causam juramenti ad se pertinere definit; etenim ibi agitur non generaliter de quibuscumque jurantibus, sed de iis, qui juraverant in causa electionis Imperatoris, quod sanè negotium apud Episcopos inferiores minimè gerebatur, uti liquet ex integro capituli contextu. Porro auctoritate ordinari jusjurandum relaxatur, ubi minus cautè, minusve deliberatè elicium fuerit, quemadmodum contingit, quoties qui juravit, non omnino libera voluntate consensit, putà metu adactus, cap. 8. & 15. de jusjurando, aut quoties agitur de parvulis infirmo consilio jurantibus, uti enim legimus in can. 17. caus. 22. quæst. 4. *definitio incauta laudabiliter solvenda est; nec est prævaricatio, sed temeritatis emendatio*; aut quoties jusjurandi implementum noxium esse alicui potest, uti contingit in eo, qui se ad usuras præstandas obstrinxit, cap. 1., juncto cap. 6. & 12. §. 1. de jusjurando. Denique etiam voluntate privatorum potest aliquando jusjurandum irritari; & quidem in primis ex parte jurantis certis in casibus, videlicet vel cùm jurans velit promissionem suam jusjurando firmatam in aliam & quidem meliorem commutare, can. 9. caus. 22. quæst. 4., cap. 3. de jurejur., vel cùm jurans prævideat, rem quam jusjurando spondidit, pejorem in exitum vergere, can. 16. caus. 22. quæst. 4. His tamen in speciebus id privata voluntate jurantis conceditur, quoties res evidens sit, ac perspicua: si enim vel minimam dubitationem patitur, tutius semper est, superioris dispensationem seu relaxationem petere, atque expectare, ne facilè unusquisque arbitrio suo relictus sibi blandiatur, & declaret se ab omni obligatione solutum. Deinde jusjurandum irritari po-

terit ex parte, illius cujus gratia juratum est, qua in specie remissionem jurisjurandi fieri dicitur, veluti si stipulanti sub iurejurando decem promitterem, & stipulator accepto ferret; si enim remissione creditoris tota extinguitur obligatio principalis, jurisjurandi accessionem etiam extingui necesse est, cap. 1. & 16. de iurejur. Insuper jusjurandum aliquando etiam irritatur ex parte illorum, qui jurantem & obligatum in sua habent potestate, qualis est dominus respectu servi, abbas respectu monachi, pater respectu filii, & vir respectu uxoris, quoties nimirum jusjurandum à subdito emissum fraudem faceret potestati, can. 15. caus. 22. quaestio 5.

Rem admodum in obscuro positam esse videm, cum quaeritur, an Romanis legibus perjuriis certa indicta fuerit poena. Scio quidem, singularem, fuisse editam constitutionem à Tiberio Imperatore, qua perjuri poena publica coercerentur, si juravissent *per genium Principis*, uti refert Dio in Tiberio, Suetonius in Caligula, & Tertullianus in Apologetico cap. 28., juncta l. 13. §. ult. ff. de iurejur., nisi forte iracundiæ calor perjurum quodammodo excusaret, l. 2. vers. *Periculum* cod. de reb. creditis. Neque ignoro, singulares etiam poenas praestitutas fuisse adversus perjuros, aut in specie legis 41. cod. de transactionibus, quando nimirum quis transactione iurejurando firmata controversiam omnem dixerit; is enim & infamis fiet, & rerum proprietatem, atque emolumenta sibi parta vi transactionis ejusdem amittet; aut in specie legis 17. cod. de dignitat., quum viri illustres juratoriae tantum cautioni relicti fidem non servant; aut in specie legis ultimæ cod. ad leg. Jul. repetund., quum Rectores provinciarum perjurio professi fuerint, se causa muneris adipiscendi pecuniam non dedisse, data illos accusandi unicuique de populo facultate. Cæterum generaliter adversus perjuri reos poenam publicam

nullibi præfinitam invenio, nec quisquam in medium proferat legem 4. ff. stellionatus, ubi qui pejeravit, affirmans suas esse res pignori datas stellionatus reus dicitur, ideoque ad tempus exulare compellitur; siquidem Romani Legumlatores & eadem stellionatus poena placentium eum voluerunt, qui sine iurejurando pignus esse suum falso affirmavisset, l. 1. 2. & 4. cod. de crim. stellionat. Insuper infirmum esset argumentum, quod deduceretur ex l. 21. ff. de his qui not. infam., etenim ibi poena infamiae falsitatem potius testimonii, quam perjurium sequitur. Nihil tamen evincere potest, ex l. 22. ff. de dolo malo, in qua mentio fit poenæ perjuri; praterquamquod enim inde non liqueat de qualitate, aut quantitate poenæ, interpretari illam possumus de poena non à publicis Magistratibus, sed ab ultore Deo expectanda, l. 2. principio cod. de reb. cred., formula jurisjurandi subiecta post Novellam 8. in fine. Neque è contrario facile quis probare poterit omni poena immunes fuisse perjuros, aut ex l. 21. ff. de dolo malo, aut ex l. 15. ff. de exception., aut ex l. 11. ff. de in litem jurando; istæ enim leges cum similibus tantum pertinent ad jusjurandum, quo lis decidatur in civilibus causis, in quibus statim ac juratum est, nihil aliud querendum superest, l. 28. §. ult. ff. de iurejur., quamquam nonnihil novi in hac specie statuerit Justinianus in l. ult. cod. de reb. credit. Atque ego ita intelligenda puto verba illa Alexandri in dicta l. 2. cod. cod. tit. *jurisjurandi contempta religio satis Deum ultorem habet*; cum ea lex aliis cohæreat constitutionibus, in quibus de iurejurando in litem sermonem fieri aper-tissimè constat.

Recentioribus temporibus apud Principes Christianos intercesserunt Religiosi Antistites, ut certa poenæ adversus perjuros clarius ederentur, inter ceteros auctor canonis 40. caus. 23. quaest. 5., quamobrem paulatim factum est, vel moribus, vel lais legibus, ut quicumque

in

in damnum alterius perjuri reus dignosceretur, infamis haberetur, nec amplius ad jurandum in judicio admitteretur, quemadmodum apud nos servatur ex §. 11. lib. 3. tit. 14. Regiarum Constitutionum. Sacri verò canones jamdudum graves poenitentias in perjuros indixerant, can. 18. caus. 6. quaest. 1., can. 17. caus. 22. quaest. 1., can. 1. 2. & sequentibus caus. 22. quaest. 5., eosdemque infames, seu ab officiiis ecclesiasticis arceandos esse voluerunt, can. 17. caus. 6. quaest. 1., laicis à communione ecclesiastica, donec satisfecerint, exclusis, Clericis à gradu suo aut in perpetuum dejectis, aut ad certum tempus pro admissi qualitate suspensis, can. 12. dist. 8 1., can. 17. caus. 22. quaest. 1., can. 19. caus. 22. quaest. 5., cap. 10. de judiciis, cap. 10. de iurejurando, cap. 2. in fine de fidejussor., sublata facultate in eadem causa, in qua perjuri fuerunt, actionem instituendi, aut persequendi coram Prælato, argumento cap. 3. de iurejur. in 6., perpetuè etiam à ferendo testimonio exclusis, can. 18. caus. 6. quaest. 1., can. 14. caus. 22. quaest. 5., imò & obligatione imposita unicuique perjuro prævia monitione denunciandi, ut salutari poenitentia apud Ecclesiam facinus expiatur, can. 8. caus. 22. quaest. 5. Planè quod traditur, Clericos perjuri reos ab officio & beneficio removeri, id tantum obtinet ex disciplina tribunalium in perjurio judiciali, quemadmodum ex regula Alexandri VI. de signatura gratiæ scriptis Rebuffus in tractatu de pacifica possessione num. 218.

Cum obligatione jurisjurandi promissorii plurimum convenit obligatio voti, propterea quòd utrumque in futuram rem faciendam sub præsentia divini Numinis confertur. Votum ego definitio pollicitationem factam Deo alicujus rei, cuius quidem laudabile consilium est, nullum autem est legis præceptum. Dico in primis pollicitationem factam Deo, ut initio adpareat, votum naturam potius pollicitationis, quam pacti, seu con-

ventionis induere; esse enim pactum duorum consensus, atque conventio, pollicitatio verò offerentis solius promissum, l. 3. ff. de pollicitat. Ex quo proficiscitur, voti obligationem ex parte votentis statim nasci, ubi promissum est, ex parte autem Dei, in cujus honorem votum elicitur, conferri in secretum ipsius voluntatis, cui gratum votum semper præsumimus, quousque aut agnoscimus, aut conicimus, rem in votum deductam Deo placere, id est, ut ait Innocentius III. in cap. 7. de voto, ubi observata sint in voto hæc tria, primò, quid liceat secundum æquitatem, deinde, quid deceat secundum honestatem, postremò, quid expediat secundum utilitatem. Memorata quoque definitionis verba indicant discrimen, quod intercedit inter votum, & jusjurandum, sive in eo, quòd jusjurandum interveniat in sponcionibus, quæ hominum gratia fiant, & tantum in testimonium veritatis divinum nomen invocetur; aut votum totum & directò in Dei honorem conferatur; sive in eo, quòd obligatio jurisjurandi accessoria sit respectu alterius obligationis confirmandæ, at ipsa voti obligatio sit principalis. Insuper eadem definitionis verba perspicuè indicant discrimen, quod intercedit inter votum, & simplex animi propositum; multum enim distat pollicitatio Deo facta à deliberatione quadam animo concepta, qua quis proponat, se certam rem facturum, vel non facturum, quæ Deo quidem polliceatur. Huc pertinet vulgaris disputatio, qua quaeritur, utrum ex nudo simplice proposito quis obligetur, ac si votum eliciisset. Et quidem si ad severioris philosophiæ regulas id exigatur, facile liquet, adeo repugnare, obligationem ex nudo proposito suboriri, ac repugnat, quamquam obligari sibi impetisi. Nascitur omnis obligatio vel ex lege, vel ex consensu. Quoties autem nulla sit obligatio legis, & de consensu agatur, tum demum obligatio proficiscitur ex consensu, cum quis consentit

N 2

gra

gratia, vel honore alterius, minime sanè ubi alterius non intersit, argumentis legis 71. §. 2. ff. de conditionibus, & demonstrationibus. In collectione Gratiani extarmonumentum in can. 1. caus. 17. quæst. 2., ex quo deducitur, ex solo proposito religiosa: aliquando in eundem professionis nullam emergere obligationem. In hanc ipsam sententiam ivit Alexander III. tùm in cap. 3. de renunciati, tùm in cap. 3. de voto. Gravem in contrarium ingerit difficultatem Innocentius III. in cap. 20. de Regular. Habetur hoc caput in 3. collectione Decretalium cap. 7. eod. tit. sub hac inscriptione: *Idem* (id est, Innocentius III.) *Abbatibus de Affligen.*, & *Magistro R. à persona Ecclesie Cisterciensis.* & *G. Canonico Timaen.* Gonzalez corruptam inscriptionem agnovit, & pro ea scribendum voluit: *Idem Abbatibus de Affligen.*, & *Magistro R.*, & *G. Canonico Trajectensi.*, subjiciens, rescriptum istud spectare ad Affligonium, monasterium admodum potens in dicecesi olim Cameracensi, nunc Machliniensi situm, erectum in honorem D. Petri ab Henrico III. Lobani Comite anno 1086. Scribit Innocentius, quasitum à se frequenter fuisse, utrum qui monasterium est ingressus habitum sumendo novitii, si ante emissam professionem infra tempus probationis exire voluerit, licite possit absque apostasia nota, vel noxa ad sæculum remeare. Observat, in hac re diversos diversa sensisse. Ipse autem distinguendum putat, an monasterium ingressus simpliciter, & absolute proposuerit vitam mutare, ut sub habitu regulari de cætero Deo famuletur; an potius voluerit statum monasticum experiri, sub conditione eum amplexurus, si placuisset, & si non placuisset, animam habuit revertendi ad sæculum moribus emendatus. In primo casu censuit, debere illum ad laxiorem saltem regulam pertransire; in secundo casu posse ad sæculum remeare, non tamen ut vivat sæculariter. Notanda profectò sunt postrema rescripti verba, quæ apud Gre-

gorium IX. paulò aliter descripta sunt, quam legantur in 3. collectione. Siquidem ita scribendum est: *In secundo potest ad sæculum, non tamen ut vivat sæculariter, remeare; ut quæ sit ejus intentio, plenus agnoscat, propositum suum in principio protestetur.* Hac ergo distinctione diligenti meditatione pensata, circa dilectum F. Trajectensem. Decanum inquiratis sollicitè, quæ videritis requirenda, & statutis canonice, quæ videritis statuenda. Ita exposita Innocentii doctrina, ego in primis observo, Innocentium nihil novi in hac re adversus generalia principia statuisse, quod statim liquet ex eo, quod postquam tradidisset, frequenter se fuisse interrogatum, & de ea re diversos diversa sensisse, item se utilem credere distinctionem allatam, nihil aliud concludendum arbitratus est, quam esse interrogandum eum, de quo agebatur, & denique statuendum canonice, quod visum fuerit statuendum. Ergo cum regulæ canonum nunquam in simplici proposito obligationem induxerint, nec Innocentius voluit, ex sola animi-deliberatione, quæ votum non esset, obligationem induci. Præterea observo, Innocentium cautè admodum rescriptisse, quasi non absolutam & in iure consistentem definitionem esset pronunciaturus, sed quasi multa ex factò non satis liquido pendere doceret, unde pro varietate adjunctorum varia quoque sententia esset proferenda. Huc spectat, quod initio profitetur, se à multis, & frequenter fuisse interrogatum; huc, quod deinde subjicit, *diversos diversa sensisse*; huc, quod monet, eum, de quo quærebatur, in principio, id est dum prudentes viros de ea re consuleret, *protestari propositum suum*; huc, quod concludit, *inquirenda esse sollicitè, quæ visa fuerint requirenda.* Insuper observo, Innocentium in distinctione duorum casuum proponenda non legislatorem agere videri, sed potius eum, qui prudens consilium pro facti adjunctis sequendum, vel non sequendum proponat, dum ait: *nos credimus distinguendum; prævidebat enim fortè utilem futu-*

tu-

turam eam distinctionem, si certa fuissent facti adjuncta, de quibus esse suspicio poterat, fortè autem inutilem in aliis facti adjunctis, quæ Innocentium labebant; atque id est, quod Innocentius subjicit, non indiscriminatim eam distinctionem esse servandam, sed potius esse diligenti meditatione pensandam; quorum enim diligenti meditatione adhuc pensandum esse definitivisset, si certa juris regula distinctio inniteretur? Post hæc generaliter prænotata, ex quibus liquet, multa animo versavisse Innocentium, quæ in rescripto prudentissimè non expressit, liceat mihi conjicere Innocentii mentem. Verosimile est, eum, de quo quærebatur, hominem fuisse variis, & quidem non levibus criminibus olim deductum, qui deinde penitentia causa, fortè ex Sacerdotis absolutis iudicio, monasticam vitam amplecti, aut monasterium ingredi sine voto, sed simplici animi deliberatione proposuerat; aut saltem verosimile est, ita fuisse Innocentium suspicatum, ob frequentem consuetudinem illius ætatis, juxta quam qui morum emendationem proponebant, se ad monasteria penitentia causa vel ex legis præscripto, vel ex Sacerdotum mandato conferebant, cap. 11. vers. *Quamquam autem* de renunciati, cap. 12. in fine de penit. & remiss., cap. 30. & 40. de simonia, cap. 2. de apostatis, cap. 2. de adulter., cap. 2. de Cler. non ordin. min., cap. 1. 2. 3. de eo qui furtivè. In his facti adjunctis verosimilibus jure poterat Innocentius distinguere, an propositum fuisset de ingressu in religionem simpliciter & absolute, an potius animo explorandi religionem, & sub conditione, si placuisset, profitendi. In priorè casu prudens erat consilium, ut penitens, cui monasterium electum non placuisset, ad aliud monasterium, seu ad laxiorem saltem regulam pertransiret. Neque enim penitentia coercenda erat intra muros electi cujusdam, aut eligenti monasterii: satis videbatur monasti-

ca quæcumque professio, quam ubi penitens in quocumque monasterio invenisset, satis ostendebat signa penitentia, satis etiam se à præcedenti depravata vitæ consuetudine distrahebant. In posteriore casu, cum non absolute iudicia penitentia esset, neque absolute suscepta, dandum erat consilium, ut recedi à monasterio posset, dummodo penitens non sæculariter, ut in sæculo viveret. Notanda sanè sunt illa verba rescripti: *moribus emendatus, & illa: non tamen ut vivat sæculariter*; hæc enim bene perpensa facile insinuant, hanc esse generam Innocentianis rescripti interpretationem. Reverà id salubriter statuere respectu ejus, qui penitentia expiaterus erat admissa crimina, quæ scilicet si non in monasterio, saltem extra monasterium, id est in sæculo, non vivendo sæculariter expiaret. His adhuc adjicio, non interrogatum fuisse Innocentium, an is, qui proposuerat vitam religiosam inire, & non omninò susceperat, tanquam apostata habendus sit, sed an posset absque apostasia nota, vel noxa, præsertim cum debita morum correctione ad sæculum remeare? Dubia erant illa verba, *apostasia nota, vel noxa*, ex quibus colligere poterat Innocentius, interrogantem de industria utramque commemorasse, id est & apostasiam, & aliam culpam, ne videretur speciem apertam proponere de eo, qui divina vocatione, & spontè accesserat ad monasterium, sed etiam de eo, quem penitentia agendæ causa in monasterium recipi privata spiritualis utilitas postulabat. Augebant suspicionem Innocentio verba illa *præsertim cum debita correctione*; non enim debite corrigi dicitur, nisi is, qui antea excessisset, & penitentia foret subjiciendus. Denique observo, eum, de quo quærebatur, fuisse Trajectensem Decanum, qui sanè privato proposito non aliter potuerat ad monasterium relicta Trajectensi Ecclesia transire, quam si certæ causæ legitime à superiore probatæ

ex-

existissent. Recens tunc erat constitutio Concilii Lateranensis sub Alexandro III. edita, quæ habetur in cap. 7. vers. *Inferiora* de elect., ubi damnatur consuetudo illis sæculis recepta, ex qua personæ minus idoneæ ad Decanatus Ecclesiarum promovebantur, eæ nimirum, quæ in minori ætate essent constitutæ, & quæ Sacerdotio initiari negligebant. Cautum inde fuit, ut deinceps nemo Decanatum susciperet, nisi vigessimum quintum annum natus, & idoneus ad Sacerdotium; item, ut Decani jam constituti quantocius ad Presbyteratus ordinem ascenderent, si *canones non obisterent*. Ex his Decanis aut erat Decanus ille Traiectensis, aut saltem eum esse potuisse Innocentius suspicabatur; videlicet & Sacerdotio insignitus non erat, & ne Sacerdotio initiaretur, canones obsisterent, quia fortè erat irregularitate notatus. Ut autem satisfaceret menti Lateranensis Concilii, salubre consilium cepit, ut Ecclesiam derelinqueret, & in monasterium se reciperet. Reverà ab Ecclesia jam abscesserat, & habitum religiosum induerat. Innocentius, qui Lateranensem canonem in ea parte non jus, sed dispensationem continere noverat, eo animo se esse indicabat, quo nollet, eum Decanum post depositam dignitatem iterum ad Ecclesiam reverti, eamque ob rem ita respondere debuit, ut insinaret, quoad fieri posset, optimum Decani propositum esse servandum. Quoties hæc interpretatio recipiatur, frustrà excitantur dubitationes illæ, quas intuemur excitatas à Fagnano ad dictum capitulum 20. num. 15, de quo quærebatur, verè votum religionis eliciisset, an simplex propositum; num ex susceptione habitus tacita professio videretur inducta; num diceretur potius apostata, an inconstans, qui propositum deseruisset, & alia hujus generis, quæ sanè in gravissimas difficultates inducunt, utinam non pluribus consecrariis occasionem dedissent germanæ canonum disciplinæ contrariis.

Revertamur in viam: Dixi, in votoinesse pollicitationem Deo factam alicujus rei, cujus quidem laudabile consilium est, nullum autem est legis præceptum. Postrema hæc definitionis verba indicant, voti materiem non aliam esse, quam ea, quæ lege præcepta non sunt. Quæ in re ego votum propriè sumo, non impropiè, prout significat quamcumque Deo factam promissionem, ut distinguantur singulares obligationes, quæ ex vi votorum privatorum pendent, ab obligationibus communibus, quæ votis confirmantur potius, quam constituuntur. S. Thomas in 4. dist. 38. quæst. 1., & in Summa secunda secunde quæst. 88. art. 2. quærebat, an in iis, quæ necessaria sunt, votum consistat; & distinguit inter ea, quæ absolutè necessitatis sunt, quæ nimirum etiam invitis eveniunt, & ea, quæ necessariò sunt implenda causa adipiscendæ æternæ salutis de quibus tamen implendis, vel non implendis libertas in homine est. In prioribus ait, votum inane esse, veluti si quis voveret se moriturum. In posterioribus ait, votum impropiè consistere, veluti si quis voveret, se servaturum divina præcepta; ac concludit, votum non nisi in rebus, quæ consilii sunt propriè existere. Reverà cum omnis obligatio aut ex legis potestate imponatur, ut ab homine propria voluntate adsumatur, cum utraque concurrat, & voluntas hominis, & legis potestas, propriè immutari non videtur natura obligationis; & quemadmodum si quis voveat, quod lege præceptum non est, non immutatur natura obligationis voluntariæ susceptæ ex eo, quod votum sequatur lex, generaliter præcipiens vota custodiri oportere; ita è converso, si quid lex præcipiat, non immutatur natura obligationis, postquam quis voverit legis præcepta se implendum. Quod si aliter sentiendum foret, singuli sanè fideles in singulis ferè actibus lege præstitutis, votis propriè obligarentur, quando scimus, passim fi-

de-

deles universos solere non tam proponere determinatione voluntatis, quam directè in Deum voluntate Deo promittere, se divina præcepta impleuros. Ipse Dei amor super omnia, qui est de necessitate salutis, nos ita Deo devincere debet, ut ipsi polliceamur, nil acturos, quod Deo displiceat. Ita singuli in baptismo promissimus, ita renovamus promissa nostra sæpius, præcipuè verò cum ad Sacramentum penitentiae suscipiendum accedimus. Firmamus in his speciebus voluntate nostra, quod imminet nobis ex præscripto legis, non obligationem innovamus; veluti cum semel emissa vota confirmantur; nemo enim tunc dixerit, ex confirmatione voti novam obligationem induci. Scio quid respondent, qui contrà sentiunt. Ajunt ipsi, voventem servare præcepta, ita Deo promittere, ac si lege non obligetur. At repono: qui præscindere vult à divino præcepto, & ita agere, ac si nullum sit præceptum, & voluntariam exequi promissionem, non optimum, nec melius consilium suscipit, quasi eligat suæ potius voluntati semel constitutæ obtemperare, quam divinæ legi, quæ sanè non est perfectioris obedientiæ species, cum obedientia legi divinæ debita virtus sit, & subjectio in Deum omnium maxima. Ob hoc autem ipsum nec votum propriè dici posset, cum votum non sit, ut ajunt Scholastici, nisi de meliore bono. Quod si dicatur, voventem rem à Deo præceptam, duplicem obligationem suscipere, primam in conspectu divinæ legis, alteram in conspectu propriæ voluntatis, replicabo ego, in primis inanem fore hanc voluntatis obligationem, utpotè quæ jam in lege inest, de re autem inani supervacaneum est votum; deinde promissionem illam ad summum in ea parte utilem esse, quæ qui pollicetur reminiscitur actû obligationis, quæ sibi imminet, eandemque renovat, unde attentior fit ad observationem divinarum mandatorum, quæ sanè recordatio

non distinctam obligationem propriè inducit; denique promissionem illam esse renovationem æquè voluntariæ obligationis, quam in baptismo suscepimus; & si in baptismo votum emissum esse non inficiantur, dicendum esse aut votum voto superadditum innovare obligationem, aut hujus generis votorum propriè dici non posse specialem obligationem. Fateor tamen, aliquando & ex accidenti fieri posse, ut votum etiam sub se contineat rem certam, quæ sub præcepto cadit; veluti si quis voveret singulis diebus sabbathi jejunaturum, & certa adventiente die sabbathi jejunium servandum sit ex præcepto. Votum illud suo ambitu complectitur etiam sabbathi diem, quæ sub præcepto jejunium indicitur, & qui non jejunat, in eo etiam delinquit, quod votum violaverit, non in specie, sed in genere suo; propterea quod non in speciem, sed in genus voluntaria suscepta est obligatio, & in genus ipsum rectè, ac propriè votum conferri poterat. Opponunt adhuc, qui contrà sentiunt, eum, qui vovet rem præceptam, dici admittente sacrilegium, si votum simul, ac præceptum violat. Velim ego, ut observent, non semper sacrilegium propriè dici, sed aliquando impropiè referri ad quamcumque legis divinæ, veluti per se sacræ, violationem, veluti cum dicitur Cain sacrilegium admisisse, cum Deo mentitus est; juxta phrasim Ambrosii in canone 47. de pœnit. dist. 1. Sed de hac impropria sacrilegii significatione agendum erit in sequenti Dissertatione cap. 1.

Quemadmodum ubi tria illa concurrunt in voto, quæ ab Innocentio III. commemorantur in cap. 7. de voto, nimirum ubi vovetur, quid licet secundum æquitatem; quid decet secundum honestatem, & quid expediat secundum utilitatem, grave crimen est apud Deum non implere promissum, cap. 6. & 10. eod. tit., cap. 13. de Regular., ita è contrario si unum desit; aut irritum omnino

VO-

votum est, aut auctoritate superioris causa cognita rescindendum, can. 5. caus. 2. 2. quas. 4., cap. 7. 9. & 11. de voto. Irritum est ipso jure votum primò, quoties res turpis, vel inhonesta, aut prorsus inanis in votum deducta fuerit: imò & tunc non sine salutari pœnitentia dimittendus est vovens, propterea quòd vel impie, vel temerè Deo promiserit, nisi aut rusticitas, aut ignorantia voventem excuset, aut nisi fortè esse cœperit inane, quod initio cum voveretur, utile foret. Secundò irritum est votum ipso jure, cum liberè, & ex consensu emissum non fuerit: clamant enim juris regulæ, obligationes consensu impositas irritas esse, ubi consensus fuisse non deprehenditur, cap. 15. de Regularibus. Rescinditur votum factò hominis, vel illius ejusdem, qui vovit, vel illius, cujus potestati vovens obnoxius est, vel ecclesiastici superioris; sit autem id vel immutatione, vel redemptione, vel dispensatione. Immutatio est, cum potissimum opus in aliud opus convertitur, vel in idem opus perfectius implendum. Redemptio est, cum data pecunia in pios usus eroganda quis à voto absolvitur. Dispensatio dicitur, cum Antistes divina auctoritate, prout res incidit, prudenti arbitrio, & veluti cum interpretatione divina voluntatis, voti obligationem remittit in totum, vel in parte relaxat. Itaque quoties qui vovit petat votum in melius commutari, observandum erit, an votum in eodem propositi genere commutandum sit, an minus. Si in eodem propositi genere commutatio voventi placeat, & in melius, poterit id spontè exequi vovens, quin necessaria sit superioris auctoritas, uti contingit in eo, qui postquam vovit ad certum tempus in monasterio manere, perpetuum deinde monasticæ vitæ professionem emittere meditatur, cap. 4. de voto. At si commutatio non in eodem propositi genere fiat, ad superioris officium pertinebit inquirere, an re-

verà quod secundo proponitur, Deo acceptius sit futurum, & tùm demùm auctoritatem suam declarando interponere, cap. 1. de voto. Præterea quoties qui vovit, licèt plenum habuerit vovendi consensum, exequi tamen votum inconsultis aliquibus nequeat, ex. gr. filius inconsulto patre, uxor inconsulto marito, monachus inconsulto Prælato, Clericus inconsulto Episcopo, Episcopus inconsulto Metropolitanò, vel Pontifice Maximo, tunc quidem renuentibus iis, in quorum potestate vovens est, ad iudicis arbitrium pertinebit, votum in aliam boni speciem immutare, quæ sine fraude, & injuria illius, à cujus potestate vovens pendet, impleri possit, cap. 7. 8. & 11. de voto, juncto, cap. 11. de convers. conjugat. Insuper quoties vovens sit quidem consensus, sed infirmus, veluti in puero, aut libertas quidem sit, sed infirma veluti in eo, qui metu adactus vovit, facilè superioris arbitrio obligatio relaxabitur, indicta tamen redemptione quadam, videlicet impositis lenioribus quibusdam officiis, quæ rei à votum deductæ locum quodammodò teneant, cap. 2. de voto, cap. 5. qui Clerici vel voventes. Denique si nova supervenerint adjuncta, quibus positus aut votum impleri non posset, aut non expediret, veluti in eo, qui in agrotatione incidit, observandum erit, an impedimentum tempore sit cessaturum; tùm verò prorogabitur voti executio, cap. 8. de voto, an verò perpetuum impedimentum sit, tùm verò auctoritate superioris redemptioni dandus erit locus, argumentò capituli 4. de regulis juris.

Nomine superioris, ad quem dispensatio sive absoluta, sive redemptionis, aut commutationis causa faciendæ, pertinet, regulariter intelligimus eum, qui ordinariam jurisdictionem in diocesi exercet; est enim species hæc non fori pœnitentialis, sed publica quædam potestas, ubi non à criminibus, sed ab obligatione legitima dispensatio petitur.

Re-

Regulariter inquam, etenim ex recepta disciplina tria vota excipiuntur, quorum dispensatio reservatur Pontifici Maximo. Primum est votum Hierosolymitanæ peregrinationis, de quo agitur in cap. 2. 5. & 9. de voto; alterum est votum ingrediendi religionem; postremum est votum non conditionale perpetuæ continentiæ. In jure communi hæc reservationes non continentur; usu potius inductæ fuerunt. Et quamquam passim in medium proferatur extravagans ult. in fine de pœnit. & rem. int. com., ibidem tamen tantum statuitur, ne qui ex Pontificio privilegio obtinuerunt, ut à votis dispensarent, privilegium illud extenderent ad ea vota singularia; de Ordinariorum autem potestate ne verbum quidem fit. Imò cum in dicta extravag. ult. fiat etiam mentio de voto visitationis liminum Apostolorum Petri, & Pauli, item de voto peregrinationis in Compostellam, tradi cæpit, & receptum est moribus; ut hæc etiam vota, quod ad dispensationem attinet, forent Pontifici Maximo reservata. Qui plura desiderat, adeat Barbosam de offic. & potest. Episc. allegat. 37. Quod spectat ad continentiam votum, locus, hic videretur opportunus, in quo duplicem ejus speciem, solem-

nis nimirum ac simplicis, indicare, & variæque utriusque jura, ac rationes expenderem. Verùm satis de hac re ad interpretationem capituli unici de voto in 6. actum fuit in tractatione de juribus conjugiorum, ad quam opportunum erit unicuique respicere. Tantum addam, in voto simplici observari, ut si quis illud non impleat, nullis publicis pœnis coercetur, sed tantum in foro pœnitentiæ satisfactio congruè subjiciatur, quod ut plurimum ejusmodi vota privatim fiant, unumque Deum & restem habeant, & annentem; at si publicè delinquantur contra vota solemnia, imminere reis gravissimas pœnas, ita ut monachi monasteria deserentes, habitumque abicientes, sicuti Clerici laicorum more sæcularem vitam ineutes, tanquam apostata habeantur, pœna carceris plectendi, donec respiscant, interea etiam ad majores ordines ascendendi denegata facultate, cap. 1. 5. & ult. de apostatis, juncto canone 18. & 19. caus. 27. quas. 1. Quod si non adeo graviter adversus vota emissa delinquant, superioris arbitrio relinquatur, modò asperiorum, modò leniorum pro admisi qualitate pœnam infligere, cap. 4. 5. 1. de iudiciis, juncto cap. 21. de accusationibus.

